Brutus iure iurando populum aſtrinxit neminem rome
regnare paſſuros. Tarquinium conlatinum collegam ſuum
propter affinitatem tarquiniorum ſuſpectum coegit conſu
latus abdicare et ciuitate cedere bona regum diripi iuſſit.
agrum marci conſecrauit. qui campus marcius nominatus eſt. Adoleſ
centes nobiles et fratris filios quia coniurauerant de recipiendis regi
bus ſecuri percuſſit. ſeruo indici cum vindicio nomen fuit libertatem de
dit ex cuius nomine vindicta appellata. Cum aduerſus reges qui con
tractis veientum et tarquinienſium copiis bellum intulerunt exerci
tum duxiſſet in acie cum arrunte filio ſuperbi commortuus eſt. eumque
matrone anno luxerunt. l. Valerius conſul legem de prouocatione
ad populum tulit. Capitolium dedicatum eſt. Porſenna cluſinorum
rex bello pro tarquiniis ſuſcepto cum ad ianiculum veniſſet ne tiberi
tranſiret virtute coclitis horacii prohibitus eſt qui dum alii pontem
ſublicium reſcindunt ſolus ethruſcos ſuſtinuit et ponte rupto arma
tus in flumen ſe miſit et ad ſuos tranſnatauit. Acceſſit alterum vir
tutis exemplum in mutio qui cum ad feriendum porſennam caſtra
hoſtium intraſſet. occiſo ſcriba quem regem eſſe exiſtimauerat compre
henſus impoſitam manum altaribus in quibus ſacrificatum erat
exuri paſſus eſt. Dixitque tales .ccc. eſſe. Quorum admiratione co
actus porſenna pacis conditione ferre bellum omiſit. Acceptis obſi
dibus virgo una celia deceptis cuſtodibus per tiberim ad ſuos tranſ
natauit. Et cum reddita eſſet porſenne honorifice remiſſa equeſtri ſta
tua donata eſt. Aduerſus tarquinium ſuperbum cum latinorum ex
ercitu bellum inferentem aulus poſtumius dictator proſpere pugna
uit. Appius claudius ex ſabinis romam tranſfugit. Ob hoc claudia tri
bus adiecta eſt numeruſque tribuum ampliatus eſt. ut eſſent .xxi. Plebs
cum propter nexos ob aes alienum in ſacrum montem ſeceſſiſſet
conſilio menenii agrippe a ſedicione reuocata eſt. Idem agrippa cum de
ceſſiſſet propter paupertatem publico impendio elatus eſt. tribuni ple
bis quinque creati ſunt. oppidum vulſcorum coriola captum eſt. vir
tute et opera. gn. marcii qui ob hoc coriolanus vocatus eſt. T. latinus

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 2_4v – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50597)